

97. *Quomodo differant inter se sententia excommunicationis, et declaratio seu sententia declaratoria.* — Quæritur III. In quo differant sententia excommunicationis, et declaratio seu sententia declaratoria excommunicationis? Resp. cum Fagnano in c. *Non potest de Sentent. et re judicat.* n. 18 et seqq. differre primo, quia excommunicationis sententia infligitur per sententia iudicis, non sic autem fit in declaratione excommunicationis a jure inflictæ: nam qui ipso jure excommunicatus est, per declarationem amplius non ligatur; cum a principio ligatus fuerit, sed solum declaratur excommunicatus, ut ab aliis evitetur. Ideoque ex declaratione neque inferitur pœna gravissima, qualis inferitur ex sententia excommunicationis, neque tanta in ea requiritur solemnitas, arg. c. *Pastoralis, de Appellat.*

98. *Ad delarationem non prærequiritur trina monitio.* — Secundo differunt, quia excommunicatio ferri non debet, nisi præmissa trina monitione, vel saltem una pro omnibus cum competentibus dierum intervallis, arg. c. *Sane, de Sentent. excommun.*, ibi: « Nisi competente admonitione præmissa » juncto c. *De illicita*, 24, q. 3, et c. *Constitutionem, de excommunican.* in 6, eo quod excommunicatio feratur propter contumaciæ perseverantiam, et ut isthac medicinali pœna quispiam castigatus citius a sua contumacia deficiat. Quavis jure novo § Concilii Trident. sess. 23, c. 3, de Reformat. si delicti qualitas id exposcat, infligi excommunicatio valeat præcedente bina saltem monitione, etiam per edictum. E contra ad declarationem excommunicationis alia monitio non requiritur, cum ea ipso jure jam contracta supponatur, ac declaretur, et lex ipsamet semper moneat a tali actu sub pœna excommunicationis esse abstinendum.

99. *Nec citatio, si crimen est notorium.* — Tertio differunt; quia ad excommunicationem a iudice infligendam requiritur citatio rei, saltem per edictum, si is aliter inveniri nequeat. Secus est in declaratione excommunicationis, dummodo factum ipsum sit notorium: neque enim citandus est cui notorium est defensionem non competere, prout ex communi docet citatus Fagnanus n. 21.

100. *Secus si notorium non est, aut de illo non plene constat, tunc enim requiritur citatio pro discussione causæ, ob quam quis sit declarandus excommunicatus.* — Dicitur autem notanter: dummodo factum sit notorium; nam

si hoc occultum est, vel de eo nondum manifeste constat; citatio rei est necessaria ad discutiendam causam, ob quam sit declarandus excommunicatus, Glossa in Clement. *Præsenti*, vers. *Constiterit, de Censib.* et Clement. 2, de *Pœnis*: quatenus vel reus se defendere, vel factum verificari queat, ob quod feratur declaratio, licet in ipsa declaratione non requiratur.

101. *Quibus competat potestas ferendi excommunicationem. Remissive.* — Quæritur IV. Quibus competat potestas ferendi excommunicationem majorem? Item qualiter et quando hac potestate uti possint et debeant? Resp. I. Ad primam partem hujus quæsiti patere ex § 1, n. 7, ubi specificavimus omnes, quibus competit potestas ferendi censuram ut sic, consequenter etiam excommunicationem.

102. *Cautissime, et non nisi deficientibus aliis mediis adhibenda est excommunicatio.* — Resp. II. Excommunicatio cautissime ac sobrie, et non nisi aliis deficientibus mediis infligenda est. Pro hujus conclusionis probatione, et declaratione merito per extensum assignatur dispositio circa hoc facta a Concilio Tridentino sess. 25, de Reformat. c. 3, his verbis. « Quamvis excommunicationis gladius nervus sit ecclesiasticæ disciplinæ, et ad continendos in officio populos valde salutaris, sobrie tamen, magnaque circumspectione exercendus est: cum experientia doceat, si temere, aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, et perniciem potius parere, quam salutem. Quapropter excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmissis ad finem revelationis, ut aiunt, aut pro deperditis seu subtrahitis rebus ferri solent, a nemine prorsus, præterquam ab episcopo decernantur, et tunc non alias, quam ex re non vulgari, causaque diligenter, ac magna maturitate per episcopum examinata, quæ ejus animus moveat: nec ad eas concedendas cujusvis sæcularis, etiam magistratus, auctoritate adducatur: sed totum hoc in ejus arbitrio et conscientia sit positum: quando ipse pro re, loco, persona, aut tempore eas decernendas esse judicaverit. In causis vero judicialibus mandatur omnibus iudicibus ecclesiasticis, cujuscunque dignitatis existant, ut quandocunque executio realis vel personalis in qualibet parte iudicii propria auctoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se tam in procedendo, quam definiendo a

censuris ecclesiasticis, seu interdicto: sed liceat eis, si expedire videbitur, in causis civilibus ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscunque etiam laicos, per multas pecuniarias, quæ locis piis, ibi existentibus, eo ipso quod exactæ fuerint, assignentur; seu per captionem pignorum, personarumque distractionem per suos propios, aut alienos executores faciendam, sive etiam per privationem beneficiorum, aliaque juris remedia procedere, et causas definire. Quod si executio realis, vel personalis adversus reos hac ratione fieri non poterit: sitque erga iudicem contumacia, tunc etiam eos anathematis mucrone, arbitrio suo, præter alias pœnas ferire poterit. In causis quoque criminalibus, ubi executio realis, vel personalis, ut supra, fieri poterit, etiam a censuris abstinendum: sed si dictæ executioni facile locus esse non possit: licebit iudici hoc spirituali gladio in delinquentes uti: si tamen delicti qualitas, præcedente bina saltem monitione, etiam per edictum, id postulet. Nefas autem sit sæculari cuilibet magistratui prohibere ecclesiastico iudici, ne quem excommunicet, aut mandare, aut latam excommunicationem revocet, sub prætextu, quod contenta in præsentis Decreto non sint observata: cum non ad sæculares, sed ecclesiasticos hæc cognitio pertineat. Excommunicatus vero quicumque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad Sacramenta, et communionem fidelium, ac familiaritatem non recipiatur, sed, si obdurato animo, censuris annexus, in illis per annum insisterit, etiam contra eum, tanquam de hæresi suspectum, procedi possit.

103. *Excommunicatio est maxima pœna in Ecclesia Dei.* — Ratio autem conclusionis est tum illa, quæ in Concilio Tridentino loc. cit. princ. jam est allegata: tum quia excommunicatio est pœna gravissima, quam habet Ecclesia, can. *Corripiantur* 17, cau. 24, q. 3, ibi: « Quæ pœna in Ecclesia nulla major est; » consequenter, dum alia media sufficiunt, adhiberi non debet. (ADNOTATIO L.)

§ IV.

DE EXCOMMUNICATIONE CANONIS, SEU IN PERCUSSIONIBUS CLERICORUM, ET DE EXCOMMUNICATIONIBUS BULLÆ CŒNÆ.

104. *Ratio rubricæ.* — Quamvis innumeræ quasi excommunicationes tam in sacris ca-

nonibus, quam constitutionibus et decretis pontificum, episcoporum, aliorumque superiorum ecclesiasticorum inveniantur, præ aliis tamen celebriores, et frequentiores sunt excommunicatio canonis, et excommunicationes Bullæ Cœnæ, de quibus proin hoc § agemus.

105. *Quid intelligatur nomine excommunicationis canonis?* — Quæritur I. Quid sit? contra quos? et a quo statuta sit excommunicatio canonis? Resp. I. Per excommunicationem canonis intelligitur illa, quam ipso facto incurrunt omnes percussores clericorum, seu omnes illi, sive clerici, sive laici, qui violentas manus in clericum, vel monachum, seu religiosum injecerint. Communis et certa can. *Si quis suadente Diabolo* 29, cau. 17, q. 4.

106. *A quo fit lata.* — Resp. II. Hæc excommunicatio lata est ab Innocentio II, in Concilio Lateranensi relato, cit. can. *Si quis suadente Diabolo* 29, cau. 17, q. 4, ibi: « Si quis suadente Diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in clericum, vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, et nullus episcoporum illum præsumat absolvere (nisi mortis periculo urgente) donec Apostolico conspectui præsentetur, et ejus mandatam suscipiat. »

107. *Quinam veniant nomine clerici, vel monachi?* — Quid autem nomine clerici, vel monachi intelligatur; vide lib. III, tit. I, de *Vita et honestat cleric.* § 4, per totum. Item tit. XXXI, § 4, vide etiam dicta in Theologia nostra morali tract. 13, dist. 11, a n. 63, quibus adde, esse certa vitia, ratione quorum clerici privilegio citati canonis non gaudent, ita ut percipientes talem clericum non incurrant hanc excommunicationem, de quibus vitiis in hoc V, libro suis in locis jam fecimus mentionem.

108. *Violentam manum clerico vel monacho injicere quis dicatur.* — Quæritur II. Quænam dicatur violentæ manus injectio in clericum, vel monachum ad hoc, ut propterea præfatam excommunicationem ipso facto quis incurrat? Resp. Violentæ manus injectione ad propositum intelligitur quævis actio externa injuriosa, et graviter peccaminosa violenter injecta personæ clerici, aut monachi, vel rebus corpori illius adherentibus. Ita in re communis, prout videre est apud Navarrum *Manual.* c. 27, n. 77. Barbosam in c. *Si quis suadente*, a n. 29. Molinam de

J. et J. disp. 51, n. 8. Suarez de *Censuris*, disp. 22, sect. 1, n. 27. Layman lib. 1, tr. 5, p. 2, c. 5, n. 6, et alios.

109. *Enumerantur variae actiones in specie, quae violentam manuum injectionem continent, et propterea secum excommunicationem trahunt.* — Inferitur pro praxi, violentæ manus injuriosam, et graviter peccaminosam injectionem committere, consequenter excommunicationem canonis ipso facto incurrere imprimis illum, qui clericum, vel monachum manu, pede, ense, baculo aliove instrumento, vel etiam veneno occidit, mutilat, vulnerat, percutit. Item, qui sputum, pulverem, sordes, lapidem, vel quid aliud in eum projicit. Insuper, qui freno equi, aut currui, cui clericus insidet, violentas manus injicit, vel fugientem ita insequitur, ut causa sit, quod violentiam insequentis fugiens clericus præceps in foveam, aut flumen ruat. Item, qui vestimenta personæ clerici adhærentia violenter detinet, vel dilacerat, vel ea, etiam pileum tantum, aut quid aliud, v. g. librum, baculum et violenter eripit, ut cum aliis tenent Sylvester vers. *Excommunicatio* 6, n. 4. Layman, loc. cit. n. 6. Navarrus c. 27, n. 77. Barbosa loc. cit. Secus est, si quis detineat, dilaceret, conculcet vestimenta, aut res clerici corpori ejusdem non adhærentes.

110. Pariter violentam manum injicere, et excommunicationem incurrere censetur, qui clericum, vel monachum etiam absque ulla læsione corporali in carcere, vel custodia publica vel privata, vel in domo aut alio in loco injuriose concludit, detinet, ne egredi, vel progredi possit. Doctores citati, textu expresso c. *Nuper*, 29, h. t.

111. *Etiam ille excommunicationem canonis incurrit, qui similem violentam actionem, seu manus injectionem mandant.* — Idem est de illo, qui aliquam ex recensitis n. 109, et n. 110, injuriosis actionibus mandat, dummodo effectus sequatur, c. *Mulieres*, 6, h. t. ibi: « Illi vero, qui non per se ipsos, sed eorum auctoritate, vel mandato alii violenter injiciunt manus in clericos, ad Sedem Apostolicam sunt mittendi: cum is committat vere, cujus auctoritate vel mandato delictum committi probatur. »

112. *Vel suo nomine, aut intuitu ipsius factam ratihabet.* — Idem dic de illis, qui hujusmodi injuriosam violentam actionem non quidem mandant, suo tamen nomine, vel gratia, et intuitu ipsorum factam signo ali-

quo externo (non autem affectu mere interno) ratihabent; secus foret, si quis hujusmodi actionem non suo, sed alterius nomine factam ratihaberet textu expresso c. *Cum quis*, 23, h. t. in 6, ibi: « Cum quis absque tuo mandato manus injicit in clericum tuo nomine violentas: si hoc ratum habueris, excommunicationem latam a canone incunctanter incurris; cum ratihabito retrahatur, et mandato debeat comparari. Si vero injectio eadem tuo nomine non fuit facta, tunc licet pecces ratihabendo eandem, non tamen propterea excommunicationis ullius vinculo innodaris, cum quis ratum habere nequeat, quod ejus nomine non est gestum. Concordat clementina, *Si quis suadente*, 1, de *Pœnis*: ut proin in hoc etsi alias odiosa materia procedat, Reg. 10. Jur. in 6. « Ratihabitionem retrahit, et mandato comparari non est dubium. »

113. *Item qui consilium, auxilium, vel favorem præbent ad hujusmodi violentam manuum injectionem.* — Ulterius eandem excommunicationem incurrunt, qui consilium, auxilium, aut favorem præbent ad hujusmodi injuriosam actionem. Ita citati Doctores, arg. c. *Quanta* 47, h. t. et Clement. 1, de *Pœnis*, ubi inter alios hujus violentæ injectionis, et excommunicationis, reos etiam numeratur is, qui « injuriose, vel temere percusserit, aut banniverit, vel hæc mandaverit fieri, vel facta ab aliis rata habuerit, vel socius in his fuerit facientis, aut consilium in his dederit, aut favorem, etc. »

114. *Pariter et illi, qui cum possent, et ex officio deberent, non impediunt.* — Tandem ejusdem violentæ injectionis, et excommunicationis rei sunt, qui dum sine gravi suo incommodo possent, et ex officio talem injectionem impedire tenerentur, non impediunt, consequenter eidem favent, et tacite consentiunt, veluti si ab ea proposita vel attentata pater filium, dominus servum, magistratus, vel alius superior non impedit subditum, c. *Quanta* 47, h. t. ibi: « Ne autem solos violentiæ hujusmodi auctores præsumptio aliquorum existimet puniendos, facientes, et consentientes pari pœna plecendos catholica condemnat auctoritas. Eos delinquentibus favere interpretamur, qui cum possint, manifesto facinori desinunt obviare; » ibi Doctores cum Navarro *Manual*. c. 27, n. 78. Molina disp. 52, a n. 27. Layman loc. cit. n. 7.

115. *Qui omnes recensiti non excusantur ex*

eo, quod dicant, clericum commertum fuisse percussorem. — Neque ab excommunicatione hætenus recensiti excusantur, si etiam cum veritate dicant, clericum hujusmodi violentam manus injectionem commertum esse, vel ad eam dedisse causam; quia taliter delinquens clericus a superiore, et judice suo ecclesiastico, et non ab alio est puniendus vel castigandus. Barbosa in cit. can. *Si quis suadente*, 29, cau. 7, q. 4, n. 47, cum aliis. Secus, et ab excommunicatione immunis foret, si quis pro necessaria sui defensione, servato moderamine inculpatæ tutelæ violentas manus aliquo ex præfatis modis incuteret, prout magis dicitur infra, n. 18.

116. *Vel consensisse in eandem. Clericus non potest renuntiare privilegio canonis.* — Rursus ab excommunicatione immunis non est si clericus in sui percussorem, et manuum injectionem consentiat, et percussioni v. g. corpus ultro subjiciat etiam ad satisfactionem injuriæ per clericum prius illatæ alteri; quia etsi in tali casu percussio hujusmodi non sit violenta respectu clerici percussi, est tamen violenta et injuriosa, atque redundans in opprobrium status clericalis, in cujus totius, et non in privati clerici alicujus favorem concessum est privilegium canonis, cui favori, et privilegio renuntiare non potest pacto privatorum, c. *Si diligenti*, 12, de *Foro compet. et c. Contingit*, 36, h. t. Quod si percussio ex consensu clerici facta, injuriosa non esset, ut sic tamen causa occultæ mortificationis, et satisfactionis pro suis peccatis ex motivo virtutis admitteretur, excommunicationem percipientis secum non traheret.

117. *Quando ex causa aliqua quacunque tandem violenta manus injectio excusatur a peccato mortali, excusatur etiam ab excommunicatione canonis.* — Dicitur autem notanter in conclusione n. 108, posita, injuriosa, et graviter peccaminosa; quia cum excommunicatio major sit pœna omnium gravissima, can. *Corripiantur*, cau. 24, q. 3, non nisi propter actionem graviter peccaminosam incurritur per dicta § 1. Hinc juxta communem Doctorum, si quis vel ob actionis levitatem, vel defectum intentionis injuriandi (uti sit in casu vexationis) vel ob ignorantiam personæ clericalis, vel ob defectum sufficientis advertentiæ, et deliberationis ex nimia animi perturbatione, vel vehementi passione proveniente, vel ob aliam

causam a mortali peccato excusatur, etiam ab excommunicatione immunis est. Ubi tamen notandum circa hanc materiam, esse subinde actionem graviter peccaminosam respectu clerici, v. g. violentam vestimenti illius apprehensionem, vel pilei detractionem, quæ respectu alterius tantum levis materia, leviterque peccaminosa esset.

118. *A quo etiam immunis est, qui ob necessariam sui, suorumque, vel aliorum defensionem manus violentas injicit.* — Pariter ab excommunicatione liber est, qui ad sui, vel alterius defensionem in corpore, vel bonis fortunæ, servato moderamine inculpatæ tutelæ, clerico violentas manus injicit, v. g. violenter eam detinet, vel etiam percutit, dummodo incontinenti id faciat, et modum non excedat, arg. c. *De tenore*, 10, h. t. ibi: « Nisi se defendendo fecerit, » et adhuc clarior, c. *Si vero*, 3, eod. ibi: « Si vero clericum vim sibi inferentem quis repellat, vel lædat, non debet propter hoc ad Sedem apostolicam mitti, si incontinenti vim vi repellat; » rationem subjungit ibidem Papa illis verbis: « cum vim vi repellere, omnes leges omniaque jura permittant, » cum talis detentio, vel percussio non tam sit injuriosa, ac peccaminosa actio, quam sui, vel aliorum contra injustam vim justa et licita defensio.

119. Inferitur, rusticos, vel alios plebeios, vel etiam alios sæpe ab excommunicatione excusari, toties nempe, quoties contra rixosum, insolentem, vel alias injustum aggressorem clericum violenter se defendunt, ita ut violenter in corpore agredientem clericum violenter repellant, vel vestes illius violenter detineant, vel etiam, ubi opus est, incontinenti percussant; cum talis non tam sit injuriosa manus injectio, quam justa defensio per clara jura citata, quod bene observare habent judices ecclesiastici.

120. *Alia similis doctrina practica ad propositum.* — Ex eadem defensionis causa ab excommunicatione immunis est, qui domi suæ turbationes, insolentias, vel rixas causantem clericum vi e domo repellit, vel excludit: item qui clericum cum bonis vi aut clam injuste ablatis fugientem insequitur, ablata violenter etiam percipiendo, si aliter non potest, extorquet: sicut etiam ille, qui clericum debitorem de fuga suspectum, violenter in custodia, vel alias detinet, ad hoc, ut eum judici ecclesiastico præsentare, et debitam satisfactionem consequi valeat,

prout cum aliis bene advertunt Palao tract. XXIX, disp. 3, pun. 23, § 3, num. 15. Layman, ubi supra, num. 8. Molina, disp. 55, a num. 3.

121. *Prælati et magistri suos etiam in majoribus constitutos clericos subditos aut discipulos.* — Ulterius excommunicationi non subjacent prælati, seu superiores, aut magistri, qui clericum subditum, vel discipulum etiam in sacris v. g. subdiaconatus ordine constitutum, correctionis, vel disciplinæ causa percutiunt; quod idem dic de aliis ex mandato superioris, vel magistri clericum ejusmodi percutientibus textu expresso c. *Ex tenore*, 10, h. t. ibi: « Nisi de mandato suorum fecerit prælatorum, vel nisi super eum (subdiaconum videlicet) prælationis ministerium habeat, » concordat c. *Cum voluntate*, 54, h. t. ibi: « Si quis vero ratione officii, quod in Ecclesia obtinet, aut etiam alii clerici seniores zelo, etc. »

122. *Sicut etiam parentes et propinqui filios aut propinquos.* — Ab eadem excommunicatione immunes sunt parentes et propinqui qui disciplinæ, vel correctionis causa filium, vel propinquum in minoribus constitutum moderate seculè viter percutiunt, textu expresso, cit. c. *Cum voluntate*, 54, § fin. h. t. ibi: « Si quis vero ratione officii, quod in Ecclesia obtinet, vel etiam alii clerici seniores zelo devotionis, pueros, vel adolescentes in minoribus ordinibus constitutos turbantes divinum officium; et qui obtentu prælationis, vel ministerii subditos, vel scholares correctionis causa leviter forsitan percusserint, excommunicationis sententiam non incurrunt: quod et de his dicendum est, qui aliquos de familia sua, vel propinquos inferiorum ordinum simili modo, ut cohibeantur a suis insolentiis, et scientia, bonisque moribus informentur, duxerint corripandos. »

123. *Sed non nisi in minoribus constitutos disciplinæ, et correctionis causa moderate percutere possunt.* — Dicitur autem notanter in minoribus constitutum; quia in majoribus constitutum filium, aut propinquum, parentes, aut propinqui etiam correctionis causa percutere non possunt sine excommunicatione, ut bene advertunt interpretes in cit. c. *Cum voluntate*, præsertim Barbosa n. 6, et cum aliis docet Palao, loc. cit. n. 8. Ratio est, quia cum ex una parte nullibi in jure concessum sit parentibus, aut propinquis percutere clericum filium, aut propinquum in sacris constitutum, sicut concessum est

magistris et superioribus respectu subditorum, et discipulorum; ex altera vero part in cit. c. *Cum voluntate*, filios, et propinquos duntaxat in minoribus constitutos concedatur percutere, valet argumentum a sensu contrario, et subintrat can. *Si quis suadente Diabolo* universaliter sub excommunicatione prohibens percussorem clericum.

124. *Mulier quoque pro defensione suæ pudicitie percutiens clericum ab excommunicatione immunis est.* — Insuper ab excommunicatione immunis est mulier, quæ clericum etiam sacerdotem suæ pudicitie insidiantem, quem verbis, aut fuga vel omnino non, vel quin iterum redeat, abigere non valeat, verberibus, fuste, vel alia violenta manus injectione repellit. Doctores supra num. 120, citati per jura ibid. allegata; quia et hæc percussio est justissima defensio.

125. *Sicut etiam percutiens, vel occidens clericum cum matre, filia, uxore, aut sorore turpiter viventem.* — Tandem et speciali constitutione ab excommunicatione immunis est, qui in clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inventum (turpes actus, oscula amplexus, aliosve exercentem) manus injecerit, prout expresse statuitur, c. *Si vero*, 3, h. t. ubi tamen subjungitur: « Cæterum, si in stupro, vel adulterio, quod committit cum ea, quæ ipsum ita proxima consanguinitatis linea non contingit, ceperit, aut in eam violentas manus injecerit, non erit a sententia illius excommunicationis immunis. »

126. *Quid et unde dicatur excommunicatio Bullæ Cœnæ.* — Porro etsi quis turpiter agentem cum uxore, matre, sorore, filia clericum percutiens graviter peccet, si modum excedat, v. g. graviter mutilet, aut occidat, tamen excommunicationem non incurrit. Navarrus, *Manual.*, cap. xxvii, n. 84. Layman, loc. cit. n. 9. Molina, disp. 55, n. 5, arg. cit. c. *Si vero*, 3, h. t., per quod etiam excessive percutiens in tali casu clericum ab excommunicatione immunis esse censetur, non tantum in abominationem turpissimi criminis, sed etiam et præcipue ob difficultatem in tali casu tam justum temperandi dolorem, et cohibendi impetum vindictæ.

127. *Quæ, et quot sint hujusmodi excommunicationes.* — Quæritur III. Unde dicatur, quid? et quotuplices sint excommunicationes Bullæ Cœnæ? ac quid speciale habeant? Resp. I. Excommunicationes Bullæ Cœnæ sunt illæ, quæ continentur illa Bulla, quam

a pluribus Pontificibus jam pridem editam, et renovatam quilibet Pontifex ad initium sui regiminis rursus innovat, et singulis annis certo, eamque magna solemnitate in die Cœnæ Domini publicat, et denuo renovat, ac confirmat; ob quod Bulla Cœnæ dicitur, in eaque contentæ excommunicationes Bullæ Cœnæ nominantur.

128. *Bulla Cœnæ per extensum ponitur.* — Resp. II. Excommunicationes Bullæ Cœnæ sunt plures, utpote ob plura et varia delicta, in plures ac diversos delinquentes latæ; quos delinquentes hic in compendio subjungimus. Itaque excommunicationibus Bullæ Cœnæ ipso facto sequentes subjacent delinquentes. I. Hæretici omnes externi, seu qui hæresin externam committunt, eorumque receptores, fautores et defensores; item legentes librum ab Hæretico scriptum, et de religione tractantem, talemque librum imprimentes, retinentes, defendentes, ac schismatici. II. Appellantes sententiis vel mandatis Summi Pontificis ad futurum concilium. III. Piratæ seu latronculi maritimi, eorumque fautores, etc. IV. Auferentes bona naufragantium christianorum ubivis terrarum. V. Imponentes nova pedagagia, seu gabellas præterquam in casibus a jure sibi concessis. VI. Falsificantes litteras Apostolicas. VII. Deferentes arma, et alia usui bellico idonea ad christiani nominis hostes, vel hæreticos expresse, et nominatim a Sede Apostolica declaratos. VIII. Impedientes eos qui victualia Romam vehunt. IX. Qui vexant aut injuriis afficiunt eos, qui Romam vadunt, aut redeunt. X. Vexantes peregrinantes Romam. XI. Offendentes cardinales, et alios Ecclesiæ prælatos. XII. Offendentes aliquem, qui pro causa curiam Romanam accedit. XIII. Appellantes a gravamine, et futura executione litterarum Apostolicarum ad laicam potestatem. XIV. Officiales et alii, qui causas ecclesiasticas avocant a iudicibus ecclesiasticis, aut hos eas prosequi volentes, impediunt. XV. Judices seculares, qui personas ecclesiasticas ad sua tribunalia trahunt. XVI. Qui impediunt prælatos et judices ecclesiasticos, ne sua jurisdictione juxta præscriptum legum canonicarum utantur: Item qui contra sententias, et decreta iudicis ecclesiastici, vel ad ea, iudiciumque ecclesiasticum eludenda recurrunt ad potestatem laicalem: sicut et hæc ipsa, ejusque officiales, qui his recurrentibus deferunt. XVII. Usurpantes jurisdictionem, fructus ac

redditus Sedis Apostolicæ, vel aliarum Ecclesiarum, eosve sequestrantes. XVIII. Imponentes onera personis ecclesiasticis. XIX. Judices sæculares, qui in causis criminalibus clericorum sese intromittunt. XX. Qui directe, vel indirecte, per se vel per alios invadunt, destruunt, occupant, vel desinent bona et terras ad Romanam Ecclesiam pertinentes. Prout magis patebit ex ipsa Bulla Cœnæ Domini quam a Clemente X editam ex tomo V, Bullarii Cherubini, utpote ibidem novissimam, desumptam per extensum subjungimus pro commoditate lectoris Bullarium forsitan ad manum non semper habentis.

129. *Specialia de Bulla Cœnæ, et ejus excommunicationibus.*

Bulla Cœnæ Domini.

« Pastoralis Romani Pontificis vigilantia, et sollicitudo, cum in omni christianæ reipublicæ pace, et tranquillitate procuranda, pro sui muneris officio assidue versatur, tum potissimum in catholice fidei, sine qua impossibile est placere Deo, unitate atque integritate retinenda, et conservanda maxime elucet. Nimirum ut fideles Christi non sint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, ad circumventionem erroris: sed omnes occurrant in unitatem fidei, et agnitionis filii Dei in virum perfectum, neque se in hujus vitæ societate, et communione lædant, aut inter se alter alteri offensionem præbeat, sed potius in vinculo charitatis conjuncti, tanquam unius corporis membra sub Christo capite, ejusque in terris Vicario Romano Pontifice beatissimi Petri successore, a quo totius Ecclesiæ unitas dimanat, augeantur in ædificationem, atque ita divina gratia adjuvante, si præsentis vitæ quiete gaudeant, ut futuræ quoque beatitudinæ perfruantur. Ob quas sane causas Romani Pontifices prædecessores nostri, hodierna die, quæ universariæ Dominicæ Cœnæ commemoratione solemniter est, spiritualem ecclesiasticæ disciplinæ gladium, et salutaria justitiæ arma per ministerium summi apostolatus ad Dei gloriam, et animarum salutem solemniter exercere consueverunt. Nos igitur quibus nihil optabilius est, quam fidei inviolatam integritatem, publicam pacem, et justitiam Deo Auctore, tueri vetustum, et solemnem hunc more sequentes.

» § I. Excommunicamus, et anathematizamus,